Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1845

Quelle:
Copyright:

rii, ſeu *Lectionarii* aeſtiva eſt. Quae porro inter illam, et Indicem mox deſcriptum interjecta ſunt, a paullo recentiore manu veniunt, et a compactore hic locum invenere. Inſcribuntur autem: *In feſtiuitate Omnium Sanctorum*, conſtantque *Homiliis* II. ἀδεσπότοις, ſed quae *Bedae* ſunt, et ineunt I. *Hodie dilectiſſimi omnium ſanctorum ſub una* &c. II. *Legimus in eccleſiaſticis hyſtoriis, quod ſanctus bonifacius* &c. Satis hic correcte ſcriptae ſunt, et in edit. *Colon.* 1688. leguntur *col.* 149. T. VII. nobis tamen Secundae pars major excidit. *Fol.* demum 16. incipit: *Dominica poſt Aſcenſ. Domini. Lectio Sancti Euangelii Secundum Johannem. In illo tempore dixit ihesus diſcipulis ſuis. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam* &c. *Omelia Lectionis Eiusdem.* Ita ſane; verum cujus autoris? Quaedam e plurium PP. locis compilatae ſunt, quorum nomina per margines adſiſtunt; aliis nomen Autoris a prima, aliis a ſecunda manu adſtitutum, multae dominum quaerunt. Autores nominati *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Beda* frequens, *Caeſarius*, *Euſebius* dictus *Emiſſenus*, aut *Gallicanus*, *Fulgentius*, *Gregorius* M. *Hieronymus*, *Hilarius*, *Joh. Chryſoſtomus*, *Leo.* Inter Anonymas mox prima in *Dom. poſt Aſc. Bedae* eſt, ſed impoſito alio initio: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus in ſermone* &c. cum apud *Bedam* T. VII. *col.* 32. incipiat: *Ex multis ſancti Euangelii locis* &c. Idem dic de ſecunda in *Vigil. Pentec.* ubi pro verbis *Bedae T. cit. col.* 38. *Quia ſancti Spiritus hodie* &c. nobis principium ponitur: *Quia uigilias uenturę ſollemnitatis* &c. A. *Dom. Pentec.* evulſae ſunt Membranae uſque ad *Feriam* VI. Homilia in *Oct. Pentec.* in illud: *Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus* &c. *Joh.* 3. ignoti mihi Autoris, et hujus initii eſt: *Cum diuerſis ſignis ac uirtutibus dominus & ſaluator noſter diuinitatis ſuae potentiam declarauit, uenit ad eum nichodemus princeps iudęorum tempore noctis, & dixit ad eum: Scimus quia a deo veniſti* &c. *Nichodemus iſte princeps iudęorum deſiderabat quidem ad dominum uenire, ſed iudęos timebat offendere* &c. *Dom. V. poſt Nat. S. Laurent.* (nobis XV. poſt Pentec.) in illud: *Ibat Jeſus in Civitatem* &c. *Luc.* 7. Homilia a ſecunda manu inſcripta eſt *Ambroſio*; ſed recte in margine: *Non eſt Ambroſii.* Cui porro tribuenda ſit, nihilo magis ſcio. Incipit illa: *Audiſtis dilectiſſimi fratres cum euangelium legeretur pietatem et miſericordiam domini ſaluatoris noſtri, quod ad miſericordiam motus eſt ſuper unius uiduę filio* &c. Eadem ratione neſcio, cui Homiliam in *Dom. II. poſt ſancti angeli* (XXIII. poſt. Pent.) in illud *Luc.* 8. *Loquente Jeſu ad turbas ecce princeps unus* &c. tribuam, quae incipit: *Audiſtis ex lectione euangelica fratres kariſſimi, quia loquente* &c. *Vir iſte princeps doctores & praedicatores, qui ex iudaeis crediderunt, ſignificat* &c. Atque, ut rem compendio proponam, reliquarum Homilia-